

Anvers, 1 Janvier 1600.

/ Illustrissimo ac Reverendissimo Roberto Bellarmino

S. R. E. Presbyt. Cardinali Franc. Schottus

I. C. Antverp. S. D.

5 Qui vastum Oceani pelagus navigare parant, Bellarmine Cardinalis, ita se comparant, ut fluminibus sese prius committant, quam conscendant; quo nauseam devitent, taediumque itineris paulatim superent. Idem faciendum iis semper existimavi, qui in Italiam, nobilissimam Europae provinciam cogitant, et visendae Urbis (hoc praesertim anno saeculari Iubilaei) studio idcirco

10 tenentur, ut principum Apostolorum limina, more maiorum, salutent, osculaque portibus defigant, atque ut rerum usu, et peregrinatione Prudentiam agant, Ulyssis illius *πολυτρόπου* exemplo,

Qui mores hominum multorum vidit, et urbes...

Romam porro cogitante, parentis iussu, Francisco, fratris mei

15 Iacobi filio, bonae spei adolescente, selecta haec, cuique peregrinanti profutura, in lucem edi passus sum, idque eo libentius, quod hunc Prodicium Itinerarii vicem praebuisse ex Italia nuper reduci fratri meo cariss. P. And. Schotto; Societatis Iesu Sacerdoti, tibi Romae noto, et in primis caro, cognovissem...

20 Verum enimvero patronum, instituto maiorum quaerenti mihi, unus occurristi cui labor hic inscriberetur. Primum quidem quod Lovanii Grudiorum olim, dum Iuri civili adolescens operam darem, theologiam illam, quae in scholis via ac ratione traditur, annos aliquot frequenti auditorum concursu docueris: deinde quod publice

25 difficillimis civilium bellorum temporibus, ut pios confirmares, nutantesque erigeres, omnes denique stabilires, de Verbo Dei in maxima Academiae corona, Doctorumque applausu diserte disserentem magna voluptate audierimus. Post, Romam es evocatus, et

/ quae in fide religioneque maiorum controversa, quaeque in dubium
 hodie a sectariis revocantur, vel ab inferis potius excitantur, pu-
 blice cum viva voce pronunciasti, tum litterarum monumentis ad pos-
 terorum maximam utilitatem consignasti; ea methodo, ~~quam~~ plurimi
 5 mirentur, pauci imitentur. Vivet, vivet opus illud aeternum, et
 canescet saeculis innumerabilibus. Quae cum ita sint, merito te pro
 domo Dei sic excubantem Clemens VIII Pont. Max. nuper, tametsi vehe-
 menter cum Societate honorem hunc defugeris, publico bono adlegit
 in purpuratorum Patrum Senatam, qui praestantissimorum ingeniorum,
 10 nobilitatisque flos est, ut, quod de Romanis Senatoribus Cynaeas
 desertissimus legatus Pyrrho regi olim dixisse fertur, singuli re-
 ges quidam esse videantur. Accipe igitur, Cardinalis amplissime,
 libens volensque hanc qualemcumque operam, Italiae, Urbisque nava-
 tam: et Franciscum Iacobi fratris filium qua soles humanitate, ac
 15 pietate homines externos, ut complectare, etiam quaque etiam oro, ob-
 testorque. Vale. Antverpiae. Kal. Ian. Anni saecularis sacri

Itinerarii Italiae rerumque romanarum libri tres. Anvers, J. Moretus,
 1600. Dédicace: Illustrissimo ac Reverendissimo Roberto Bellarmino
 S.R.E. Presbyt. Cardinali Franc. Schottus J/C/ Antverp. S.D.

30 Jan 1599

Antonius Cervini Bellarmino

cf p. 86